

**Dissertatio medica inauguralis, de gonorrhoea virulenta. : quam annuente summo numine, ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Gulielmi Robertson, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti: nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto; pro gradu doctoris, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis; eruditorum examini subjicit / Gulielmus Gibson, Scoto-Britannus, Soc. Reg. Med. Edin. Sod. Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.**

### **Contributors**

Gibson, Gulielmus.  
Robertson, William, 1721-1793.  
University of Glasgow. Library

### **Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, Academiae Typographos, M,DCC,XC.  
[1790]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/p99gaq48>

### **Provider**

University of Glasgow

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>







DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE

ONORRHOEA VIRULENTA.

QUAM  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

IMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS GIBSON,  
SCOTO-BRITANNUS,


Soc. Reg. Med. Edin. Sod.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:  
Apud BALFOUR et SMELLIE,  
Academiae Typographos.

M,DCC,XC.





Viro Eximio,

THOMÆ STIVENSON, M. D.

Collegii Regii Medicorum Edinensis Socio,

Artem Apollineam

Aberbrothii, in Provincia Angusiae,

Feliciter exercenti,

Morum elegantia et benevolentia,

Quam artis peritia,

Haud minus insigni;

Ob plurima in se collata beneficia,

Has studiorum primitias,

Grato animo,

Sacras vult

A U C T O R.

THOMAS STIVENS ON M.B.

On the Right of the British People to the

Right of the British People to the

Right of the British People to the

Right of the British People to the

Right of the British People to the

Right of the British People to the

Right of the British People to the

Right of the British People to the

Right of the British People to the

Right of the British People to the

Right of the British People to the

Right of the British People to the



Ipse ego Caenomanum memini qua pingua dives  
Pascua Sebina praeterfluit Ollius unda,  
Vidisse insignem juvenem, quo clarior alter  
Non fuit, Ausonia nec fortunatior omni:  
Vix pubescentis florebat vere juventae,  
Divitiis, proavisque potens, et corpore pulchro.  
Cui studia aut pernicis equi compescere cursum,  
Aut galeam induere, et pictis splendere in armis,  
Aut juvenile gravi corpus durare palæstra,  
Venatuque feras agere, et praevertere cervos.  
Illum omnes Ollicque Deae, Eridanique puellae  
Optarunt, nemorumque Deae, rurisque puellae:  
Omnes optatos suspiravere hymenaeos.  
Forſan et ultores superos neglecta vocavit,  
Non nequicquam aliqua, et votis pia numina movit.  
Nam nimium fidentem animis, nec tanta timentem  
Invasit miserum labes, qua saevior usquam  
Nulla fuit: nulla unquam aliis spectabitur annis,  
Paulatim ver id nitidum, flos ille juventae  
Disperiit, vis illa animi; tum squallida tabes  
Artus (horrendum) miseros obduxit, et alte  
Grandia turgebant foedis abscessibus ossa.  
Ulceræ (Proh Divum pietatem) informia pulchros  
Pascabant oculos, et diae lucis amorem:  
Pascabantque acri corrosas vulnere nares.  
Illum Alpes vicinae, illum vaga flumina flerunt.  
Illum omnes Ollicque Deae, Eridanique puellae  
Fleverunt, nemorumque Deae, rurisque puellae:  
Sebinusque alto gemitum Lacus edidit amne.

HIERON. FRACAST.

THE HISTORY OF THE  
CITY OF BOSTON  
FROM THE FIRST SETTLEMENT  
TO THE PRESENT TIME  
IN TWO VOLUMES  
BY NATHANIEL BENTLEY  
OF THE BARR



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ONORRHOEA VIRULENTA.

---

PROŒMIUM.

**S**ECULO decimo quinto jam exeunte,  
morbus venereus in Europa semet ostendere primum incepit; et in Gallico exercitu, bellum Neapolitanis in Italiam inferente, circa annum 1495 maxime faeviit, haftenus fere omnes consentiunt; nam licet symptomata, iis

A

luis



luis venereae haud abfimilia, ab auctoribus ante hoc tempus memorantur, veluti ulcera genitalium, bubones, impurum profluvium ex urethra, ardor urinae, (ab Anglis olim *brenning* dictus), et caetera; tamen satis constat, hos morbos, de lue quae hoc tempore erupit, differentes fuisse. Disputatur, an morbus in Europa natus \*, an ab India Occidentali huc delatus fuerit: Celeberrimus Astruc, hanc rem eruditissime ac summo labore perscrutatus †, itaque omni fide dignus, opinioni posteriori favet, et opinatur, luem veneream ab Insulis Antillis, a Columbo comitibusque domum reducibus anno 1493, in Hispaniam apportatam esse; et anno insequente ab Hispanis militibus in Italiam, ad Neapolitanos, et Gallos, transmissam. Ita ex his fontibus,

\* Vid. A Dissertation on the Origin of the Venereal Disease.

† Vid. Astruc de Morb. Vener. lib. 1. toto.



us, haec pestis horrenda brevi per universam Europam disseminata fuit.

Primi auctores, qui scripserunt de lue venerea, nullam mentionem gonorrhoeae venereae fecerunt. Astruc invenit unicum exemplum additum a Jacobo a Bethencourt, qui in tractatu de Lue Venerea, anno 1527 edito, ita narrat: "Consultit me quidam juvenis cujus mentula sesquiannum saniosum ac virulentum vomebat succum, quod venereo (ait) contraxerat certamine." Brassavolus primus gonorrhoeam, inter alia symptomata morbi venerii, anno 1553, retulit, et ibidem affirmat vitium modum recens esse; et discipulus ejus Fallopius, scribens anno 1560, testatur *non esse quindecim annos, quibus observata est gonorrhoea Gallica*. Non, me iudice, nobis licet existimare silentium veterum scriptorum de gonorrhoea virulenta ab eorum negligentia pendere; nam

non



non facile est intelligere, plurimos auctores, caetera accuratos, praetermittere posse symptoma tam insigne et frequens morbi, cujus aspectus horribilis summam attentionem postularet. Sed liquido patet, gonorrhoeam virulentam non, ante medium seculum decimum sextum, in Europa vulgo observatam esse.

Causae primae originis morbi venerei adhuc in tenebris latent. Alii antiquiores medici ejus originem a maligna potestate siderum, alii ab intemperie aëris, deducunt, dum alii ad interpositionem Divini Numinis refugiant. Prima hypothesis memoratu digna ab Astruc profertur \*. Ille notat omnes regiones quibus hic morbus olim cognitus erat, nempe Insulas Antillas aliasque partes novae orbis, et interiorem Africam, sub Zona Torrida jacere. In his calidioribus regionibus

\* De Morb. Vener. lib. 1. cap. 12.



onibus existimat, morbum endemium fuisse, ac ab aliis causis praeter contagium olim genitum, nempe a promiscuo usu veneris cum mulieribus, quibus menses naturam acerrimi et quasi virosi fluebant. Nobis cognitum est, symptomata, iis morbi venerei similia, interdum in nostra Europa oriri, ex coitu cum mulieribus menstruatis; insigne exemplum hujusmodi a cl. Hunter traditur\*. Sed quatenus hoc, coelo aestuante, moribusque vivendi gentium harum regionum adauctum, ad morbum venereum gignendum valere possit, difficile est dictu.

Nuperrime ingeniosissimus auctor Girtanner novam conjecturam de hac re in lucem edidit†. Americus Vesputius narrat, quod mulieres novae

vae

\* Vid. Hunter on the Venereal Disease, Part II. chap. 2.

† Vid. Duncan's Med. Comment. ann. 1789.



vae orbis solebant, quaedam noxia infecta genitalibus virorum applicare, ut eos ad venerem cicerent. Haec nimis libere applicata morbum venereum movissent, ut noster auctor censet. Cum argumenta et observationes, quibus haec opinio stabilienda est, nobis defunt; de ea ferre sententiam non decet.

Multi medici, aequae ac historia, morbum venereum, a tempore quo in Europam apportatus est, indies minus gravem evasisse, et nostris minoribus tantum nomine cognitum fore, opinantur. Invenimus auctores seculo decimo sexto affirmantes, morbum jam ad extremum senium pervenisse, et spem enunciantes, brevi tempore saevire omnino desitutum esse. Spes talis ex toto inanis videtur; nam, annis ducentis abhinc elapsis, morbus adhuc crudeliter saevit; et inter omnes constat, syphilidem, nullis remediis adhibitis, semper ad lethalem exitum pergere. Hoc profecto



profecto nostro tempore rarius incidit, quia remedia ad morbum depellendum efficacissima possidemus.

## HISTORIA MORBI.

Gonorrhoea virulenta, in viris plerumque circa tempus inter diem quartam et octavam post coitum impurum, semet ostendere solet. Exempli non defunt, quibus signa morbi paucis diebus notata sunt; dum alias non ante hebdomadam sextam accessere, sed haec perraro eveniunt.

Sub initio morbi inassueta jucunda titillatio circa ostium urethrae, cum desiderio veneris solito fervidiore, et quadam rotatione testiculorum, sentitur. Rima urethrae nunc tumet, calet,



let, et solito apertior videtur; pressura digitis tunc adhibita, aliquantulum muci limpidi ex ea effunditur: Morbo paulatim ingravescente, humor copiosus albidus minusque glutinosus ex urethra sponte fluit, et nonnihil doloris inter urinam reddendam sentitur. Glans penis tumescit, rubescit, et interdum secretio ex ejus superficie, et glandulis odoriferis, adaugetur; hoc aliqui gonorrhoeam spuriam nominant. Inflammatio ad ostium urethrae magis conspicua evadit, et nunc, dum urina redditur, dolorificus sensus caloris, per omnem canalem uriniferum, sed maxime qua in glandem definit, percipitur; hic excretionem finita acriter urget. Quod excernitur, id quantitate indies augetur, et flavum, subviride, interdum sanguine tinctum, uno verbo vere purulentum, effluit. Ingens dolor et sensus constrictionis in pene, quoties erigitur, aegrum praesertim in lecto cubantem vexat; eodem



eodem tempore penis saepe cum summo dolore deorsum incurvatur.

Hoc modo, in exemplis benignis et cura tractatis, morbus perpauca hebdomadas progressus, nunc paulatim mitescit, ac omnia symptomata remittuntur. Signa inflammationis languescunt, humor excretus, quantitate minor, et magis glutinosus, fluit, ac tandem hoc una cum aliis symptomatibus evanescente, aegrotans sanus evadit.

Sed in exemplis minimum benignis, vel minore cura tractatis, res longe aliter eveniunt. Inflammatio a parte urethrae prope extremitatem, ubi plerumque manet, per totam longitudinem ejus, usque ad vesicam urinariam, se extendit. Tum vesica, sensibilitate ejus adaucta, impatiens soliti stimuli urinae fit; hinc aegrotus perpetua inexplebili cupiditate urinae reddenda



dae vexatur; quae cum impetu doloreque gravissimo in regione hypogastrica excernitur. Alias, musculo, qui ostium vesicae claudit, maxime affecto, urina summa difficultate guttatim redditur, vel etiam in toto supprimitur. Perinaeum haud raro inflammatione, in suppuratione interdum abeunte, afficitur. Pus ex abscessu, vel introrsum in urethram, vel extrorsum in perinaeum, vel in utramque partem, tendit; hinc oriuntur ulcera fistulosa multa mala moventia. In exemplo hujusmodi glandulae Cowperianae, vel etiam glandula prostatica, saepe afficiuntur. Aliquando abscessus in parvulis glandulis, per cursum urethrae fitis, formantur, qui vel externam, vel internam superficiem versus, aperiunt. Abscessus in corpore cavernoso penis aliquando notantur. Praeputium inflammatione correptum adeo ante glandem coarctatur, ut deduci nequeat, quod phymosis appellatur; si pone glandem



llandem coarctatur, et reduci nequit hoc paraphymosis dicitur.

Dum haec signa gravissimae inflammationis adsint, ardor urinae tentiginesque dolorificae egrotum excruciant; sed profluvium hoc tempore non aequè ac alia symptomata crescit, contra vero humor quantitate modica et tenuissimus est; quinetiam in exemplis vehementioribus fere toto evanescit, faciens gonorrhoeam siccam, vel dysuriam veneream siccam quorundam auctorum, et gravi inflammatione subsidente, iterum copiosus fluit.

Quandoque in gonorrhoea alter vel uterque testiculus tumet, calet, doletque, unde febris symptomatica aliaque gravissima symptomata confluunt. Hic tumor testis inflammationem signem in urethra non semper comitatur; intra saepe oritur cum signa inflammationis



ibi nunc mitescunt, vel etiam postquam in toto cessavere. Tumore testis superveniente, fluxus ex urethra, ardor urinae, et caetera symptomata interdum reprimuntur; illo diminuto, haec iterum ingravescent. Inflammatio testiculorum gonorrhoeae superveniens perraro ad suppurationem, aut gangraenam, tendit, sed plerumque post aliquod tempus resolvitur. Glandulae inguinales, et vasa lymphatica in eas ducentia, levi inflammatione, sine exulceratione vel ullo remedio adhibito, plerumque decedente, corripuntur.

Iis, qui gravi et diuturna gonorrhoea laborare, perpetuum stillicidium muci naturalis ex urethra per menses, vel etiam annos, aliis signis sublati, manet; hoc Anglice *gleet* appellatur. Stricture in urethra, quanquam ab aliis causis oriri possunt, sine dubio plerumque gonorrhoeae virulentae pedissequae sunt. Ex his  
multa



multa profluunt mala, veluti fistulae perinaei, perpetuum stillicidium, gravis dysuria, vel interdum etiam ischuria. Alia sequela gonorrhoeae memoratu digna restat, nempe, tumor glandulae prostaticae; hic urethram comprimens profluvium urinae impedit, et ita stranguriam vel ischuriam inducit. Hoc vitium senibus maxime familiare est.

In mulieribus morbus progressum finemque, offere eundem ac in viris, habet, sed in illis omnia symptomata multo mitiora plerumque pergunt. Si morbus vaginam solam invadat, adeo lenis est, ut aegrotata, aut etiam medicus inspiciciens, vix eum deprehendere possit. Plerumque attamen ad nymphas extremam urethram vicinamque partes serpit; tum calore prurituque circa partes genitales exteriores sese manifestat. Fluxus ex his partibus humoris ei similis, qui in viris ex urethra stillat, nunc supervenit. Sensus



fus molestus aegrotam vexat, praesertim dum sedeat, vel ambulet; et cum urina per urethram et supra exteriores partes fluat, dolor urens sentitur. Tentigines dolorificae etiam infestat, ex distensione clitoridis substantiaeque cavernosae vaginae, et contractione fibrarum carnearum quae ostium ejus circumplectuntur. Inflammatio per urethram ad vesicam item se extendit; unde eadem symptomata ac in viris profluunt.

In foeminis, ut in viris, stillicidium, post alia signa cessavere, haud raro manet. Stricturae quoque urethram foemineam post gonorrhoeam interdum infestant.

DE



DE SEDE MORBI, ET DE MODO QUO  
CONTAGIO ILLUC DEVEHITUR.

Alii antiquiores, vesiculas feminales morbi sedem, et humorem profusum esse semen, existimaverunt. Ex hac opinione nomen gonorrhoea, vel fluxus feminis, huic morbi impositum est: Sed hoc minime idoneum videtur; nam non tantum constat, fluxum haudquaquam ex his vesiculis progredi, sed praeterea ex observationibus a Hunter et Chaptal nuperrime prolatis, res in dubium venit, an hae vesiculae liquorem feminalem a testibus delatum contineant, ut omnes ante hoc tempus opinati sunt. Alii, glandulam prostaticam et glandulas Cowperianas semper maxime affectas esse, posuerunt. Sed cum respicimus ad modum, quo gonorrhoea

primum



primum urethram invadit, nempe dolore et inflammatione ad ejus extremitatem, per totum cursum morbi manentibus, nobis persuadendum est, morbum ibi sub initium semper sedem habere. Sectiones cadaverum eorum, qui hoc morbo laborantes, mortui sunt, idem confirmant; in iis plerumque nullum indicium morbi, nisi in extrema parte urethrae ab ostio non longe distante, invenitur. Hae glandulae, ut supra memoravimus, interdum morbo afficiuntur; et Morgagnus in uno exemplo \*, invenit signa inflammationis antecedentis in vesiculis feminalibus; sed hoc incidit tantum, cum inflammatio ab extremitate urethrae in eas ascendit.

*De modo quo contagio ad urethram devehitur.—*

Nonnulli existimaverunt, quod virus venereum,  
vasa

\* De Sedibus et Causis Morbor. Epist. xlv.



afa abforbentia glandis penis ingreffum, per ea  
d internam superficiem urethrae recte devehi-  
r. Sed nobis fatis liquet, nulla vafa reforben-  
a a superficie glandis ad urethram tendere;  
aec vero curfum longe diverfum tenent. Alii  
ofuerunt, glandem penis venenum venereum  
rbere, haud fecus ac fpongia aquam imbibit.  
aec opinio adeo abfurda videtur, ut nullum  
ommentarium fibi vindicet.

Aliquatenus verifimile videtur, venenum ve-  
ereum, ex friftione glandis penis contra par-  
s eo illinitas, in coitu impuro extremae ure-  
rae admoveri, in canalem impelli, et recte ad  
embranam internam applicari poffe. Alii hu-  
s rei rationem diverfam reddunt, qui opinan-  
r, aliquantum muci cui virus adhaeret ad of-  
am urethrae manens, poft coitum glande nunc  
tumescente, in canalem trahi; vel urethram  
tractione capillari id abforbere. Plerumque



vero breve spatium post coitum humor mucosus ex urethra stillat; itaque postrema opinio haud omnino consentanea videtur.

### C A U S Æ.

*Causae Remotae.*—De causis, quae alios aliis procliviores ad hunc morbum faciunt, nil erit dicendum, nam has omnino ignoramus. Sola causa excitans in hac regione orbis terrarum cognita virus venereum est; de quo pauca proferre nunc pergemus.

Opinio nuper invaluit, et nonnulli eximii adhuc docent, venenum gonorrhoeam excitans omnino diversum esse, ab eo quod syphilidem movet, vel genus humanum duobus morbis venereis obnoxium esse. Qui huic opinioni favent,



ent, multa argumenta speciosa ad eam stabili-  
ndam adducunt. Imprimis, ut supra diximus,  
ues venerea in Europa longe lateque graffata  
uit, antequam gonorrhoea vulgo observata est;  
cet nostro tempore illa quam haec rarior e  
ontagione venerea oritur. Syphilis, nullo re-  
edio adhibito, semper per totum systema fer-  
it, et rapide ad lethalem exitum festinat; con-  
ra vero gonorrhoea tantum parvum spatium  
rethrae plerumque occupat, cito mitescit, et  
revi sponte cessat. Contendunt symptomata  
is confirmatae nunquam a gonorrhoea oriri;  
uamvis vasis lymphaticis optima opportunitas  
iri absorbendi adsit. In fere omni exemplo  
lculculi venerei in glande, vel praeputio, fiti  
d ostium urethrae materia venerea applicetur,  
tamen ex eo gonorrhoea non nascitur; con-  
ra, materies in gonorrhoea ex urethra fluens  
urge glandi ac praeputio admovetur, sed non  
lculcula excitat: Praeterea, gonorrhoea inter-  
dum



dum in partibus fedem habet, quas ulcuscula plerumque occupant, nimirum in glande penis virorum, et exterioribus genitalibus mulierum. Postremo, mercurius, ad syphilidem depellendam tam efficax, in gonorrhoea nil prodest, contra in primo stadio manifeste obest; si gonorrhoea et syphilis in eodem adsint, hac ope mercurii sublata, illa manet.

Haec similiaque argumenta quamdam diversitatem morborum profecto monstrant; sed haec non a diversitate venenorum pendet, uti paucae observationes ostendunt.

Quotidiana experientia docet, mulierem gonorrhoea laborantem, uno gonorrhoeam, alteri syphilidem impertire. Non negandum est, quin gonorrhoea interdum luem confirmatam excitavit; nam auctores fere omnes et antiquiores et recentiores hoc confirmant. Rogatur cur

virus



virus ad glandem penis in gonorrhoea admodum non ulcuscula movet? Contra nobis licet cogitare, cur virus ex ulcusculis profusum non semper alia ulcuscula gignit? Sed experimenta super instituta hanc litem omnino compescit.

Vir eximius Joannes Hunter, duobus puncturis in glandem penis et praeputium illatis, aliquantum materiae in gonorrhoea profusae admovit \*. Haec vulnuscula brevi in exulcerationem abeuntia, bubo in inguine aliaque symptomata luis confirmatae, veluti ulcera tonsillarum et venereae maculae cutis, secuta sunt; in alio experimento †, veneno gonorrhoeae ad puncturam in superficie externa corporis applicato, ulcusculum venereum progeneratum fuit.

Alter

\* Vid. Hunter on the Venereal Disease, Part VI. chap. 2.

† Ibid. Part VI. chap. 1.



Alter auctor ingeniosus, ita narrat: "Mate-  
 "ria \* contagiosa ex ulcusculo profusa, post-  
 "quam morbus breve manserat spatium, et an-  
 "tequam ulla adhibita fuerant medicamenta, in  
 "urethram immissa, gonorrhoeam virulentam  
 "progeneravit, quae progressum eundem et fi-  
 "nem habuit, ac si modo vulgari fuisset excita-  
 "ta." Ex his omnibus liquido patet, unum  
 idemque venenum et gonorrhoeam, et syphili-  
 dem movere. De dotibus chemicis viri venerei  
 nil dicendum erit; sed investigare effectus quos  
 praestat in sede morbi, vel proximam causam  
 gonorrhoeae pergemus.

*Causa Proxima.*—Multi crediderunt venenum  
 venereum in urethra, haud aliter ac in glande  
 penis, ulcera facere, et ex iis humorem profi-  
 cisci. Multa argumenta, quae huic opinioni  
 jure

\* Vid. Harrison Dissert. Inaug. de Lue Vener. ann.



jure objici possunt, non defunt. Imprimis, in multis aliis exemplis, humor ei in gonorrhoea profusus similis effunditur, quanquam nihil ex ulcerationis adfit; in ophthalmia hoc saepe conspicuum est, item in fluore albo, catarrho, et caeteris. Praeterea, cum partes genitales mulieris hoc morbo laborantis perlustrantur, nullum ulcus, sed humor purulentus ex lacunis stillans conspicitur. Insuper, tumore testis superveniente, profusio aliaque symptomata cessant, et hoc subsidente, iterum redeunt magis subito, quam accidisset, si ab ulceribus penderent. Sectiones cadaverum argumenta contra eam opinionem validissima suppeditant. Morgagnus \*, in cadaveribus virorum, qui gonorrhoea laborantes aliis morbis fuissent extincti, nihil ad gonorrhoeam attinens, praeter madorem ac ruborem maiorem quam soleat a media urethra ad glandem exten-

\* De Sedibus et Causis Morb. Epist. xlv.



extendentem, invenit. Hunter \*, in multis casibus ejusmodi, nunquam signa exulcerationis in urethra animadvertit, sed notae inflammationis in interna superficie urethrae extremitatem versus, et lacunae mucosae materia purulenta turgidae conspectae sunt.

Unde nobis aequum est concludere, fluxum in gonorrhoea non ab ulceribus, sed ab aucta secretione muci, superficiem internam urethrae oblinientis et lubricantis, oriri. Non tamen omnino negandum est, erosionem vel exulcerationem urethrae interdum adesse. Morgagnus testatur, se vestigia antecedentis erosionis aut exulcerationis in urethra vidisse. Noster illustrissimus Monro urethram juvenis, qui gonorrhoea virulenta periit, suis discipulis ostendit, in cujus interna superficie signa erosionis et exulcerationis perspicua adsunt.

Virus

\* On the Venereal Disease, Part II. chap. 1.



Virus venereum in urethram illatum inflammationem, et secretionem adauctam ibi movet; hac eodem tempore humor secretus, colore et spissitudine mutatus, purulentus evadit. Hactenus effectus ejus a vi stimulante omnino pendere videntur; nam alii stimuli, five mechanici, five chemici, eadem signa inflammationis et easdem mutationes materiae secretae efficiunt. Ita instrumenta *bougies* Gallice dicta, in urethram sani, qui nunquam gonorrhoea laboraverit, immissa, tales effectus praestiterunt \*. Experimentum, memoratu dignum, a Schwediger institutum †, vim insignem stimulorum chemici generis ad symptomata gonorrhoeae signanda ostendit. Ille in suam urethram alcali volatilis caustici solutionem, ope syphonis, immisit. Illico ingentem dolorem et cupidita-

D

tem

\* Sharp's Critical Inquiry, chap. 4.

† Observat. on Vener. Comp. chap. 2.



tem urinae mittendae sensit. Cum cubitum iturus urinam reddebat, ingens ardor ad extremitatem urethrae vexavit. Postero mane effluxit humor purulentus subviridisque, qualis gonorrhoeae venereae proprius est, et gravis dysuria tentiginesque dolorifice superaccesserunt. Haec per dies quinque commorata, oleo amygdalarum dulcium injecto, mitiora evasere; sed nunc nova inflammatio exorta est in ulteriore parte urethrae; ubi haec per sex dies continuaret, tertia insecuta est usque ad collem vesicae extendens. Tandem sexta hebdomada exunte sanus evasit.

Illa exempla a gonorrhoea venerea hoc maxime differunt, quod in iis materia effusa non virus venereum est. Hujus rei rationem reddere valde difficile est. Parum profecerunt chemici, qui opinantur venenum venereum fermentum quoddam esse, quod mutationem fermentationi similem



similem in mucum urethrae post ejus egressum e  
vasis inducit, ac eum in suam naturam assimilat.  
Non videtur, ullam similitudinem esse inter mu-  
tationes in hoc quibusdamque aliis morbis, et  
illas quibus mustum in vinum et hoc in acetum  
vertuntur. Itaque tales notiones indies haud  
immerito obsolescunt. Si peculiaris natura  
materiae in gonorrhoea effusae a fermentatione  
et assimilatione pendeat, morbus debet nun-  
quam evanescere; nam nulla causa in aprico est,  
cur fermentatio unquam cessaverit. At multo  
magis verisimile videtur, venenum in vasis se-  
cernentibus urethrae formari vel secerni. Inter  
omnes fatis constat, secretionem omnino ab ac-  
tione vasorum organi secernentis pendere, ita-  
que mutatio materiae secretae a mutata actione  
vasorum oritur. Cum nullus alius stimulus  
eandem mutationem, ac virus venereum, indu-  
cit; hoc vi peculiari pollet: Vel virus venere-  
um irritatione sibi propria, aut specifica, ac-  
tionem



tionem vasorum fecernentium adauget, et modo specificè mutat. In hoc, nimirum in adaucta et specificè mutata actione vasorum fecernentium urethrae, causa proxima gonorrhoeae virulentae consistit.

In explicationem hujus rei longius progredi, non nobis datur. Mutationes a corpore principio vitali praedito, seu animali, seu vegetabili, effectae, parum intellectae sunt; et nullo modo principiis chemicis aut mechanicis explicandae. Mutatio veneno venereo effecta exemplum est generalis legis in oeconomia animali; nam cognitum est, mutationes huic similes in aliis exemplis a veneno specifico oriri. Haec lex in variolis, morbillis, pfora, et morbis contagiosis fere omnibus, valet.

QUORUN.

## QUORUNDAM SYMPTOMATUM EXPLICATIO.

*Ardor Urinae.*—Nexus est insignis inter sensibilitatem alicujus partis, et statum vasorum quae fibras nervosas sentientes comitantur; ita ut actione vasorum aucta, hae magis sensiles evadunt, et vice versa. Hinc patet, cur acrimonia urinae, quae in sano nullum effectum praestat, in gonorrhoea laborante, ex inflammatione membranae internae urethrae, summum dolorem infert, et eodem tempore inflammationem adauget.

*Tentigines Dolorificae.*—Eodem modo dolorem a distensione penis orientem exponimus. Substantia reticulata corporum cavernosorum penis  
et



et urethrae inflammata, aegre ac non sine dolore ad sanguinem influentem cedit. Inflammatione in corpus cavernosum urethrae facillime pergente, hoc plerumque maxime afficitur, inde fit, ut dum penis erigitur deorsum incurvetur. Quandoque corpora cellulosa penis praecipue afficiuntur, tum penis vel sursum vel ad alterutrum latus incurvat. Cellulae corporis spongiosi urethra, non solum inflammatione coarctantur, sed interdum aliqua ex parte coalescunt; haud fecus ac superficies pulmonum ad pleuram costalem in pneumonia adhaeret. Exinde incurvatio penis, aliis signis sublati, per aliquod tempus manet. Debent haec eadem intelligi de mulieribus, quae quoque dolorem in vagina vicinisque partibus experiri solent, si illae tentigine rigescant, quamdiu inflammatae sunt.

Glandulae inguinales in gonorrhoea inflammantur, ob irritationem per vasa lymphatica in

ear



teas ascendente. Quod hoc non ab absorptione viri pendet, manifeste apparet, quia exulceratio aut symptomata luis confirmatae perraro insequuntur. Tamen semper in memoria tenere oportet, venenum venereum, in gonorrhoea absorptum, et ad has glandulas delatum, ibi bubones vere venereos interdum movere. Tumor testiculorum videtur oriri ab irritatione ostiis ductuum feminiferorum admota, et per eos ad testes delata. In aliis exemplis a quolibet irritamento circa ostia vasorum deferentium applicato, inflammatio testis orta fuit, veluti ab irritatione instrumenti, *bougie* dicti, in urethram introducti: Interdum oritur ab exulceratione vel calculis in vesica \*; alias operationem lateralem lithotomiae subsequitur †. Quinetiam chorda spermatica primum afficitur, deinde epididymis,

\* Monro, Praelectiones.

† Vid. Sharp on the Operat. of Surgery.



dydimis, et postremo corpus testiculi. Si a viro venereo, vel circuitu sanguinis, vel regurgitatione in vasis deferentibus, illuc translato, oriatur, ut alii posuerunt, semper ad suppurationem tendere debet. Sed hoc perraro accidit, et cum suppuratio supervenit, more solito sine mercurio adhibito curatur.

### DIAGNOSIS.

Plerumque omnia symptomata hujus morbi adeo conspicua, ut diagnofin facere parum difficile fit. Discrimen obvium est, quo gonorrhoea a morbis renum vesicaeve, quibus excernitur humor purulentus vel mucosus, dignoscatur. In his humor una cum urina et in ea diffusus solum effluit; in gonorrhoea contra perpetuo ex urethra stillat. Morbi, quibuscum  
gonorrhoea

gonorrhoea confundi periclitatur, sunt stillicidium in viris, et fluor albus in foeminis.

*Stillicidium.*—Hoc iis, qui gravi vel frequentiore gonorrhoea virulenta laboraverunt, maxime familiare est; et plerumque a causa evidente oritur, veluti ab exercitatione immodica, venere etiam pura nimis culta, et caeteris similibus. Paucis horis post applicationem talis causae semet ostendit, ita a gonorrhoea virulenta dignoscendum. In gonorrhoea benigna, quam in virulenta, mitiora adfunt omnia symptomata; ardor urinae, aliaque signa inflammationis in superiore vix aut ne vix quidem notantur, nec humor tam copiosus excernitur, et plerumque paucis diebus sponte decedit.

*Fluor Albus.*—Haud raro in leucorrhoea humor purulentus e mucosis glandulis vaginae fluit, et signa levis phlogosis adfunt; hinc ori-



tur summa difficultas inter eum et gonorrhoeam dignoscendi. Profluvium in gonorrhoea subito oritur, et ad acmen festinat; fluor albus a levi initio paulatim augetur, et tantum post longum tempus copiosus fluit. In gonorrhoea signa inflammationis, veluti tumor dolorque circa ostium vaginae et exteriores partes, ardor urinae, et caetera, sub initium adfunt; contra vero haec raro in fluore albo sese ostendunt, nisi post aliquamdiu mansit et jam inveteravit. In fluore albo per breve tempus ante eruptionem, et post cessationem mensium, humor solito copiosior fluit; sed in gonorrhoea haec mutatio non notatur. Nonnulli docent, profluvium gonorrhoeae proprium mensibus producentibus conspicuum manere, et leucorrhoeae proprium, tum in toto evanescere. Hoc signum diagnosticum parva fide dignum; nam in gonorrhoea humor tunc sanguine menstruo adeo obtegi potest, ut videretur evanescere. Vulva inspecta, si materies



ries purulenta ex lacunis in superiore parte ejus, aut circa ostium vaginae fitis, exprimatur, non sine causa, mulierem gonorrhoea laborare, inferre possumus. Praeterea, generalis debilitas corporis, dyspepsia, dolores circa regionem uteri, aliaque morbida signa leucorrhoeam comitantur, et antecedunt, quae raro in gonorrhoea notantur. Haec omnia, plerumque in morbis distinguendis, nos non parum juvabunt.

### METHODUS MEDENDI.

*Prophylaxis.*—Cum symptomata non statim post applicationem causae excitantis sese ostendunt, spes non levis morbo venienti occurrendi est nobis. Hoc consilio vetustiores scriptores suadent, ut mercurialia aliaque remedia, quae adversus venenum venereum vi peculiari pollent,



pollent, in urethram virorum et vaginam mulierum, ope syphonis, immitterentur, post usum veneris impurae vel suspectae. Sed dubitandum est, an talia ad vires veneni extinguendas valeant, ut illi crediderunt. Solutio alkali caustici, vi insigni ad mucum solvendum praedita, ut remedium prophylacticum a viro cl. Fordyce multum laudatur \*, qui testatur, eam in urethram post coitum impurum injectam suis votis saepe respondisse. Pari consilio solutio mercurii corrosivi sublimati interdum admovetur. Haec insigni vi stimulante imbuta, summa cura adhibenda sunt, et tantum statim post impurum coitum, antequam ulla signa morbi adsunt. Remedia minus periculosa, veluti simplex lavatio partium genitalium aqua tepida vel solutione saponis, in gonorrhoea praecavenda non parum prodesse possunt.

*Curatio.*

\* Vid. Dissert. Inaug. de Catarrho, ann. 1758.



*Curatio.*—Quamvis, ut supra diximus, gonorrhoea virulenta ad naturalem curationem tendit, et nullum remedium, ad eam subito repri-  
mendam valens, nobis est; tamen haud negan-  
dum est, quin medicamentis, aliisque remediis  
rite applicatis, omnia symptomata mitigare, cur-  
am ejus sistere, et multa mala ab ea profluen-  
tia praecavere possimus.

Duae periodi in curatione instituenda distin-  
guendae sunt. Prima in qua omnia signa gra-  
vis inflammationis adsunt. Altera in qua haec  
minimum urgent, sed humor adhuc ex urethra  
copiosus effluit. Consilia medendi igitur duo  
sunt: 1. In prima periodo, actionem vasorum  
minuere. 2. In altera, tonum iis morbo debi-  
tatis reddere.

Consilio primo respondent sequentia.

*Sanguinis*



*Sanguinis Detractio.*—Si signa inflammationis graviter urgent, ubi ardor erethismus genitalium, cum gravi dysuria, ubi inflammatio ad supurationem vergens in perinaeo, ubi pyrexia symptomatrica adsint, et aegrotus robustus est, sanguis e brachio mittendus est; quod pro viribus aegroti et vehementia symptomatum iterandum. Detractio generalis tamen raro necessaria est, specialis missio ad inflammationem levandam plerumque sufficit. Hoc consilio hirudines ad externam superficiem urethrae admovende sunt. Tunc cavendum est ne virus venereum ad vulnuscule accedat; nam ulcera venerea ita excitari possunt.

*Cathartica.*—Olim valuit, ac etiam nunc apud nonnullos valet, usus exhibendi cathartica drastica in hoc morbo. Sydenham dicit \*, *omnis*  
*cardo*

\* Epist. Responsor. II.



ardo curationis in remediis catharticis vertitur, et suadet, ut calidiora, veluti aloes, jalappa, coccyntus, singulis matutinis exhiberentur. Cum cathartica praesertim acriora intestinum rectum maxime irritant, et nexus inter hoc et collum vesicae vicinasque partes adeo insignis est, ex usu eorum stranguria, tumor testiculorum, aliaque mala profluunt, et eodem tempore vires aegroti largis evacuationibus multum infringuunt. Has ob causas, nunquam adhibenda sunt. Nilominus, alvo adstricta, intestina ab irritatione faecum liberari debent; sed ad hoc perficiendum cathartica leniora, quae vel organa urinaria vel intestinum rectum minime irritent, eligenda, qualia sunt manna, oleum ricini, sales neutri, veluti sal Glauberi, soda phosphorata, et similia bene multa.

*Diuretica.*—Quum urina transiens per uretram inflammata, propter acrimoniam ejus, dolore



dolorem urentem moveat, et inflammationem adaugeat, diureticis quantitatem ejus augere, ac ita acrimoniam minuere conamur. Diuretica acriora hic omnino evitanda, et etiam mitiora cautissime adhibenda sunt. Experientia generalis nitrum aliis diureticis in hoc morbo anteposuit. Actio diureticorum semper multum promovetur diluentem potum large bibendo, et plerumque praestat in gonorrhoea sola diluentia quam alia diuretica exhibere. Aqua pura, vel omnis mitis potus, veluti decoctum althaeae, infusum feminis lini, solutio gummi Arabici, nostris votis respondent, et efficaciores fiunt, si pauxillum crySTALLORUM tartari vel nitri adjiciatur.

*Injectiones emollientes et sedantes.*—In prima periodo, dum inflammatio vigeat, nonnulli suadent ut liquores emollientes, qui urethram ab acrimonia urinae munire possunt, in eam immitterentur;



mitterentur ; quales sunt olea blanda, mucilago gummi Arabici, simileſque. Sed cum irritabilitas urethrae tanta eſt, ut apex ſyphonis non ſine magno dolore in eam immitti poſſit, hae plus mali quam boni afferunt.

Ante omnia alia ſedantia in urethram injicienda opium ponimus, quod in mucilagine gummi Arabici diffuſum exitu felici ſaepe fuit admotum. Tamen in memoria tenere oportet, opium, hic ſtimulare magis quam ſedare, et morbum augere interdum videri : Et licet tinctura opii, in ophthalmia oculo immiſſa, ſaepe multum profuit, tamen ab uſu ejus omnia ſymptomata, ut in gonorrhoea, interdum graviora evadunt. Itaque opium non promiſcuae ac ſine cura adhibendum.

*Regimen antiphlogiſticum.*—Hoc per primum ſtadium diligenter adhibendum eſt. Cibos mi-



tiffimos, et eos quantitate modica, aeger fumere debet, dum vinum et omnes potus ftimulantes defugiat. Exercitatio omnigena, praefertim equitatio, calor, et omnes notiones ad libidinem excitandam tendentes, fedulo evitandae funt. Ægrotus in temperatura magis frigida, et in fitu horizontali quiefcentem, fe contineat.

In fecunda periodo, inflammatione nunc imminuta aut penitus proftolata, vel etiam fub initium morbi, cum omnia fymptomata valde levia funt, et figna inflammationis vix percipiantur, injectiones multum profunt. Hae vel ftimulantes vel aftringentes funt. Injectiones vi ftimulante praeditae, veluti folutio mercurii corrofivi fublimati, magis adaugere morbum paulisper videntur; fed brevi poft tempore omnia fymptomata mitefcunt, et cito evanefcunt. Interdum tamen ancipites, haud raro manifefte  
nocivae



nocivae sunt, itaque in exemplis lenissimis solum adhibendae.

Astringentes vasa corrugant, iis tonum reddunt, et levi vi stimulante pollent. Varia remedia astringentia hoc modo applicantur, veluti gummi kino, cortex Peruvianus, cortex quercus, vitriolum album, viride, aut caeruleum, alumen, et caetera. Aqua calcis, praesertim in foeminis, maxime idonea, et infusum theae non spernendum est. Mercurialia saepe in urethram immittuntur; haec nullum vim specificam habere, sed vi stimulante aut astringente pollere, videntur. Cavendum ne injectiones astringentes nimis fortes sint, eorum vires gradatim augendae. Interdum quaedam injectio nostris votis cito respondet, post aliae frustra tentatae sunt, itaque saepe mutari ac variari debent.



Medicamenta roborantia et astringentia, veluti cortex Peruvianus, acidum vitriolicum, similiaque, eodem tempore interne sumenda. Alia vi peculiari organa urinaria stimulandi praedita, adhibenda, qualia sunt tinctura cantharidum, balsamum Copaibae, Canadense, terebinthinae variae, et caetera.

Nunc convenit aegro dieta lautiori et vino modico uti, sed intemperentia cujusvis generis vitanda. Balneum frigidum universum non minimum prodest, praesertim cum morbus inveteratus vires aegri convulsit. Si magis ad localem affectionem spectamus, aqua frigida ad organa genitalia admovenda est, quae efficacior redditur glacie aut sale in eam liquecente.

Quo longius morbus a stadio inflammatorio abest, et propius ad naturam stillicidii simplicis accedit; eo magis libere omnia haec remedia stimulantia



stimulantia et astringentia adhibere nobis licet.

Nunc restat, de signis aut sequelis gonorrhoeae remedia sibi propria postulantibus, pauca proferre.

*Phymosis et Paraphymosis.*—In utraque eadem via medendi convenit. Topica detractio sanguinis in hac, ut in aliis inflammationibus, multum prodest; hirudines itaque praeputio admovendae, cataplasmata emollientia et saturnina partibus affectis applicanda. Fomenta dolorem ac tensionem valde mitigant; itaque penis aliquo miti et subtepido liquore subinde fovenda, et in eum immersa per aliquod tempus continenda. Talis liquor in phymosi inter glandem et praeputium syphone identidem injiciendus est. Si inflammatio indies ingravescat, et non ad resolutionem tendat, timendum est, ne in gangraenam



graenam defitura fit; rebus ita se habentibus, praeputium vel ad alterutrum vel utrumque latus incidendum est.

*Tentigines Dolorificae.*—Hae et aegrum multum vexant, et omnia symptomata morbi augent, itaque summam attentionem medici sibi vindicant. Ad eas compescendas, opium tempori eundi large sumptum multum prodest, et camphora eodem tempore exhibita votis feliciter respondet. Cataplasmata cum camphora peni applicanda sunt, et supra vaporem aquae calidae, cui camphora adjicitur, penis subinde continendus est. Conducit quoque applicatio hirudinum urethrae superficiei externae.

*Tumor Testiculorum.*—Si inflammationem testis comitatur febris symptomata, sanguis e brachio mittendus est. Topica detractio sanguinis, hirudinibus supra partem affectam applicatis,




plicatis, effectus optimos praestat. Scrotum identidem madeat solutione sacchari saturni, aqua frigida cum aceto, vel glacies etiam admovenda est. Conducit quoque usus opii, et per os et anum assumpti. Nihil plus ad inflammationem sedandam pollet, quam quies in situ horizontali; tunc impetus sanguinis in arteriis partis affectae minuitur, dum reditus ejus per venas facilius fiat. Testes semper fascia idonea sustineri debent. Si, ante accessum inflammationis testis, aeger ad dietam lautiores redierat, nunc iterum ad regimen antiphlogisticum recurrendum est; et omnia remedia stimulantia et astringentia, seu forma injectionis ad urethram applicata, seu interne sumpta, omnino defugienda sunt.

Inflammatione testis resoluta, haud raro superest quaedam durities, praesertim in epididymide. Ad hanc discutiendam, frictiones cum unguento



unguento mercuriali, vel linimento volatili, supra scrotum tentandae sunt. Emetica praesertim draastica, veluti turpethum minerale, effectus mirificos interdum ediderunt. Aliis remediis frustra adhibitis, nonnulli suadent, ut conemur gonorrhoeam, ope rerum stimulantium in urethram immissarum, restituere, vel etiam coitu impuro aut infusione pauxilli viri veneri. Solutio alkali caustici omnibus nostris votis respondebit: Coitus impurus, aut infectio viri veneri, modi adeo periculosi et turpes sunt, ut nunquam tentari debeant.

Quaquam mercurius plerumque nihil valeat ad curandum gonorrhoeam, tamen, si signa exulcerationis in urethra adsint, omnino necessarius est. Operae praetium est, in fere omni graviore exemplo, mercurio rite applicato cavere, ne systema generale quid detrimenti capiat.




DISPUTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

CYNANCHE GANGRÆNOSA.





\*\*\*\*\*

DISPUTATIO MEDICA

IN AUGURALS

DE

CYNANCHE GANGRÆNOZA.

\*\*\*\*\*

DISPUTATIO MEDICA,  
INAUGURALIS,  
DE

Cynanche Gangraenosa.

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,  
D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.  
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON  
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;  
PRO GRADU DOCTORIS,  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES TAILOUR,  
EX INSULA SANCTI CHRISTOPHERI,  
Soc. Med. Edin. Soc.

Prid. Id. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:  
Apud BALFOUR et SMELLIE,  
Academiae Typographos.

M, DCC, LXXVI.



DISPUTATIO MEDICA

IN AUCTORITATE

Cyranche Gargillan

Georgii

Encomium

De

D. GUILIELMO HOBENBERGERO

ACADEMIAE MEDICAE

PRAGAE

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

PROGRADU

GEORGIO TAILOUR, M. D.

Collegii Medicorum Regii Edinensis

Socio,

Parenti suo semper colendo,

semper Honorando;



GEORGIO TAILOR, M.D.

Collegii Medicorum Regii Edinburgensis

Sacris

Patriis suo semper colendis

Semper Honorandis

Item,

JOANNI RUTHERFORD, M

Olim in Academia Edinenfi

Medicinae ufus Profefiori digniffimo,

Vetuffiffimo,

Ob ejus in fuam familiam

Spectatam diu amicitiam ;

Denique,

JOANNI HOPE, M. D.

In eadem Academia

Medicinae Reique Botanicae

Profefiori optime merito,

Propter ejus in fe

Voluntatem egregiam;

Has fuorum ftudiorum primitias

D. D. C. Q.

JOANNES TAILOUR.



II. Cynanchen gangraenosam constituunt pyrexia typhodes, rubor et dolor faucium, deglutitio et spiratio difficiles, cum angustiae in faucibus sensu. Haec ei, excepta pyrexia, cum iustis cynanches speciebus, quae in Nosologia\* hujus morbi consortes esse habentur, communia sunt. Propria, quae speciem constituunt, sunt ‘Cynanche tonsillas et membranam faucium mucosam afficiens tumore, rubore, et crustis mucosis, coloris albescentis vel cineritii, serpentibus, et ulcera tegentibus; cum febre typhode contagiosa et exanthematis †.’

## HISTORIA.

III. Semper fere incipientem morbum comitantur, saepe ei praecedunt, horrores crebri, nausea, anxietas, et vomitus frequens. Contra, his faucium affectio vix unquam praecedit.

\* Cull. Gen. Morb. G. X.

† Ibid.



cedit. Eodem, quo illa tempore, vel brevi post, cervicis rigor quidam, faucium intus molestia, et raucedinis aliquid, incidunt. Fauces inspectae intus alte rubere, et aliquantum, raro multum, tumere, apparent. Raro aegre aut cum dolore devoratur. Mox per tonsillas, velum, uvulam, et ex parte palatum, maculae albescentes, aut cinerei coloris, existunt. Quae serpentes, dein coeuntes, crustis crassis, subter quas, cum deciderunt, ulcera cernuntur, universum fere guttur obducunt. Quo tempore haec in gutture procedunt, eodem coryza incidit, qua tenuis, acer, et male olens, humor effusus, nares et labra rodit. Saepe quoque, praecipue infantibus, dejectiones crebrae accidunt, quibus humor acris et tenuis ex ano effluit, hanc et ei vicina rodens.

IV. Una cum his (III.) symptomatis, pyrexia procedente, pulsus parvi, crebri, et ordinis expertes, omni vespere exasperatio, omni mane remissio sunt. Actiones animales multum debilitantur, deliratur, saepe coma sopit.



V. Die secundo, est ubi serius, cutis, aliquando punctis exiguis, vix eminentibus, efflorescit, plerumque maculis clare rubentibus, serpentibus, mox coeuntibus, ut, a vultu et cervicibus, ubi primum apparent, intra aliquot dies, ad inferiores artus paulatim perveniant. Haec rubedo, per brachia, punctis, miliarium instar, non in maculas coeuntibus, minus clara; saepe manibus et extremis digitis, rigentibus et tumentibus, clarissima est. Eruptio, ut tempore adventus, a secundo ad quartum diem, variat, ita inconstans, nunc subito recedit, nunc redintegratur, modo unum diem, modo quatuor, saepius tres vel quatuor, permanet; tandemque, cuticula in squammas quasi fatifcente, decedit. Sed neque accedens, neque decedens, pyrexiam et caetera solvit, ac ne remissionem eorum semper quidem parit\*.

TER-

\* Historia haftenus a praeceptore nostro Culleno poene verbatim sumpta est; quia is solus hunc morbum recte descripsit.



## TERMINATIONES MORBI VARIÆ.

VI. Fines morbi sunt aut gangræna, aut diarrhoea exhaustiva, aut glandularum colli tumores, sæpe suffocantes, aut, correpta trachea, suffocatio \*, quandoque resolutio †.

VII. Progrediente morbo, ulcera gutturis livescunt, nigrescunt, spiritus male olet, humores multa acredinis indicia peragunt. Gangræna patet ‡. Et crescentibus pyrexiae putridae symptomatis, tertio demum die aut serius, semper fere ante septimum, mors sese infert. Aut, translata a gutture per pharynga et oesophagum in intestina, quod pro re vera exponi potest, acredine, idem finis incidit.

VIII. Haud raro, glandulae circa collum et cervicem lymphaticae, provento morbo, tumescunt. Nec hi tumores non quandoque suffocant.

IX.



IX. Ut definitionis genericae, quod ad hanc speciem attinet, recte pars est, 'spiritum difficilem' esse; ita, pertinente ad hujus interdum instrumenta inflammatione, suffocatio vitam finit.

X. Est ubi leniora ulcera et pyrexia sunt, et haec minus in putridam naturam vergit; ubi, et apparente eruptione, et hac, postquam tridui aut quatuor dierum spatio totum corpus occupaverit, per squammas decedente, eadem remittit, dein septimo aut ante die omnino, et quod reliqui post eam morbi est, separatis crustis, solvuntur.

### CAUSA REMOTA.

XI. Cynanches causae remotae non sunt, quas hinc in feminium, illinc in potestates nocentes, vulgo causas occasionales dictas, distinguere possis. Nam, quamvis



XII. Seminium debilitas videri potest, quatenus infantes et alioquin invalidi magis opportuni morbo sunt, non tamen ea necessaria est; siquidem nulla aetas, nullum corporis genus, ejus sunt immunia\*. Neque, licet

XIII. Causa occasionalis contagio† videri queat, ideo tamen est; quoniam, sine ulla corporis conditione, qualem seminium dicas, solaque vi propria inferre morbum potest.

## C O N T A G I O

XIV. Igitur causa simpliciter remota est. Quae, siquando sine debilitate interna morbum facere non posse, quod verum est, videtur; id propter ipsius debilitatem fit, non quia per propriam suam naturam alieno auxilio eget; simili modo ac contagio quae pestem facit, quam sine omni conditione interna

\* Cull. Pr. Lin. CCCII.

† Ibid.



terna agere fatearis; aliquando tamen, propter debilem vim suam, sine debilitate, cui infert corporis, nequit inferre morbum. Quo in casu utroque contagio etiam causa simpliciter remota est, sed minus efficax; et debilitas corporis est tantummodo res forte adjuvans. Aut, si illam occasionalem, hanc femininum, esse contendas, non multum repugno; dummodo, inter has causas quae sic aliquando, et eas quae nunquam fere, nisi conjuncto opere, morbum creant, satis clare distinguas. Certe hac causarum ratione, phlegmasiae omnes, (hoc morbo de quo agitur et arthritide exceptis), et exanthemata inter sese toto coelo distant. Usui mihi est, scire aliquem, phlegmasia aliqua saepius conflictatum; quia ad feminii intus in corpore ejus suspicionem ducor, quam aut tollere, aut hominem a frigore defendere, conabor. Quorum utrovis facto, salvum praestare potero. Verum, si eadem via arcere pestem, aut variolam, aut rubeolam postularem; et, femininum creditum tollendo, securitatem hominis molirer;



molirer, luderem operam, vitam perderem,  
et restim infuper mererer.

Sic causarum ratione illustrata, jam dictis  
adjiciendum est, adeo contagiosam cynanchen  
gangraenosam esse, ut raro sporadica sit, ple-  
rumque per populum grassetur.

## MORBI DISCRIMINA.

XV. In cynanches gangraenosae defini-  
tione, crustae mucosae albescentes aut coloris  
cinerii, serpentes, et, ubi deciderunt, ulcera  
subter se fuisse ostendentes, memorantur; in  
tonsillari, non item. Quae tamen nota dis-  
crimen sola non dat; nam maculae his adeo  
similes, ut, iis pro signo pathognomico ha-  
bitis, gangraenosa crederetur, quae tonsilla-  
ris cynanche erat, in hac quandoque repertae  
sunt\*; eadem albescebant, et quod confun-  
dendo

\* Cull. Praelect. de Cynanche tonsill. ann. MDCCCLII.



dendo magis esse poterat, quandoque cinereo colore erant, et quodammodo ferpebant \*. Ut igitur perpetuum haec nota discrimen non praebet, ita quod eae maculae seu crustae in cynanche gangraenosa perpetuae sunt, in tonsillari rarius accidunt, id aliquam differentiam statuit. Sed, ut signa pathognomica vix ulla sunt, nec quenquam temere morbum, qui una quavis nota ab omni parte distinguatur, invenias, id ita quoque in re praesente se habet. Non signum pathognomicum maculae in cynanche sunt. Quique esse arbitrati sunt, nae ii cum magno sibi commissorum malo, infantum exitio et parentum luctu, in dirum errorem inciderunt. Cum igitur huic notae distinctio morbi non committenda sit, sed ei tamen cum aliis conjunctae; quae eae sint, deinceps videamus.

XVI. In utroque specie tumor est; qui in gangraenosa minor semper, nunquam tamen, ut nonnullis visum est, ex toto abest.

\* Cull. Praelect. de Cynanche tonsill. ann. MDCCCLII.



est †. A quo notam, quamvis minus solidam, suppetentem, paulo clariorem reddit

XVII. In utraque specie tumoris color perspectus; qui in tonsillari clarus, in gangraenosa, atrior aut nigrescens, rubor est.

XVIII. Quarum notarum utrique commune est, quod in prima specie cum colore tumor aequalius per fauces diffundatur, in altera, prius parte magis contentus, dein spargi solet.

Quibus omnibus notis haud paulo

XIX. Certius discrimen, saltem cum modo relatis conjunctum, pyrexiae genus praebet. Quae in cynanche gangraenosa, ut ex historia facile patebit, typhodes, immo typhus manifestus, in tonsillari synocha, est. De qua, in quibusdam casibus, aut cujusvis circa initium, si ulla dubitatio detur, certe hanc solvet, abesse aut adesse

XX. Contagio cognita. Cujus signa sunt frigus aut inflammationis idiopathicae causae,

† Cull. gen. morb. G, X. sp. 1. 2. et Praelect. de illa ann. MDCCLII,



fae, non adventum morbi praecedentia, et hic per populum grassans.

XXI. Haec (XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX.), ut quodvis eorum figillatim anceps aut incertum sit, tamen omnia, aut eorum etiam pars aliqua conjuncta, non morbum patefacere non possunt, ita saltem, ut a Cynanche tonsillari certissime distinguatur.

XXII. Eadem a reliquis cynanches speciebus, si paulo attentius earum inter se definitiones comparatae excutiantur, haud difficile dignoscetur; una tamen excepta, a qua hujus differentiam deinceps dare adgreddior.

XXIII. Aliquando inflammationem cynanches gangraenosae a propria sua sede (II.) ad laryngem et ipsam tracheam pertinere, tam signa externa\*, de quibus supra† submonitum est, quam cadavera incisa, docent. Quod ubi incidit, id est, ubi spiritus,  
qui

\* Cull. Pr. Lin. CCCVI. p. 280

† Cull. Gen. Morb. G. X. sp. 3.



qui caeteroquin in hoc morbo non multum afficitur, difficilis esse incipit, et inter trahendum strepere; ubi vocis rauco, et tussis clangosa, audiuntur; tamen secundae speciei propria (II.), his priora, et tumor cum rubore (XV. XVI. XVII. XVIII.) in faucibus apparens, item pyrexia ac contagio, quaeque ad has attinent (XIX. XX.), ei, cujus animus non ante confusus aut ad diversum judicium perversus sit, haud dubium dabunt discrimen. Quod si pathologia in diagnosticis uti permetterer, ea quoque hos morbos penitus distingui dicerem. Certe nihil alteri contrarium magis esse potest, quam inflammatio, quae trachealem \*, et habitus ad putredinem vergens, quae gangraenosam, species continet.

XXIV. Cum scarlatina pura est, qualem Sydenhamus describit, qui nullam gutturis affectionem vel semel memorat, unde sic puram illam aliquando esse patet, qualisve  
multis

\* Cull. Pr. Lin. CCCVI. et Homium professorem nostrum egregium idem opinatum.



multis abhinc annis per populum Edinensem grassatus est, et saepe superiore anno in eadem urbe visa est \*, tum sola gutturis affectus absentia satis in discrimen est. Aut, ubi sine eruptione cynanche gangraenosa est, quod aliquando quoque, quamvis rarius, incidit †, absentia eruptionis aequae affectionis genus discriminat. Quorum casuum alter scarlatina pura, alter cynanche gangraenosa sunt, eosque morbos sua natura diversos esse, eatenus ostendunt.

XXV. Verum, cum utriusque symptomata, qualis casus decem vel duodecim abhinc annis, et nuper etiam hac in urbe, annoque MDCCLXV. Monspeliï, popularis fuit, inter se miscentur; tum uter effectus idiopathicus, uter alterius tantum symptoma aut conjunctio fortuita, sit, et, quibus notis inter se discriminantur, scire demum interest.

XXVI.

\* Cull. praelect. de Cyn. gang. anno MDCCLII. et hoc anno.

† Cull. praelect. de Cyn. gang. hoc anno. Cyn. quoque gang. an. MDCCLXIV. Sauvagesio teste, Monspeliï fuit.



XXVI. Igitur, si affecti gutturis symptomata graviora, nempe atra faucium rubedo, tumor crescens seque ulterius spargens, crustae albescentes, magisque cinerae, ulcera mala, ad gangraenam tendentia, pyrexia typhodes, contagiosa, et omnibus typhi symptomatis stipata, humor acris supra et infra dimanans et tacta rodens, et eruptio talis, qualis supra (V.) cynanchen comitari dicta est, apparent; scire licet, morbum cynanchen gangraenosam esse. Contra, si leviora symptomata gutturis sunt, aut etiam si cynanches propriis simillima, et graviora fore, videantur; tamen, si eruptio ante ‘quartum morbi diem’ non apparet\*, si ‘maculis amplis, tandem coeuntibus, post tres dies in squammulas furfuraceas abitura,’ constat; et, licet contagiosa, tamen, si synocha pyrexia est, morbus esse scarlatina, remediis ei propriis, nempe antiphlogisticis, curandus †,

vix

\* Cull. gen. morb. G. XXX.

† In epidemico morbo Edinburgi supra relato sic suos Cullenus prospere tractavit, et neminem amisit.



vix dubitandus, rem proprius spectanti, est. Denique, in scarlatina humores acres, maxime in summum corpus, minus in fauces cum phlogistico effectū; in cynanche gangraenosa maxime in has, minime in illud cum putrido effectū, inclinantur.

### CAUSA PROXIMA.

XXVII. Causa hujus morbi proxima typhi est, cui eruptionis superaddita sit.

XXVIII. Causa igitur debilitas maxima est, eoque, ex inducto spasmo, reactionem minorem recipiens. Debilitatē subesse et primum omnium incidere, manifesta ejus symptomata (CIII. IV.) supra relata, primum apparentia, argumento sunt. Cujus generis, (nam faucium affectio vix unquam praecedere aperte dicitur) si minus clare magisque ambigue, ‘horrores, nausea, anxietas, et vomitus,’ quae a diversa causa esse possunt, certe liquido et manifeste, pulsus status, et  
‘actionum



'actionum animalium debilitas, delirium et coma,' sunt.

XXIX. Spasmm induci et proximum ordine esse, gutturis affectio, diarrhoea, et coryza, suppressam perspirationem et introvertos humores indicantia, declarant.

XXX. Reactio, quae parva esse dicta est, ita, quidem parva est, ut obscurius, et nisi 'exasperatione' quae 'omni vespere' redit, non significetur. Quod ipsum, gravem morbi naturam, quemque ad finem tendat, aperit.

XXXI. Quanta vero, ex qua haec omnia (XXVIII. XXIX. XXX.) profluunt, debilitas fit, morbi cursus, status, et finis (VI. VII. VIII.) ostendunt.

XXXII. Altera causae (XXVII.) pars ea est, quae eruptionem et gutturis affectum continet. Est autem haec contagionis ignominiae opus; quo fit, ut, generis nervosi, dum ipsum ita debilitatur, ut typhodem pyrexiam a debilitas excitet, ita quoque motus afficiatur, ut certo tempore, (V.) in summum



corpus impetus directus eruptionem, introverfus gutturis affectum, excitet.

PRÆCIPUORUM SYMPTOMATUM  
ET CAUSÆ PROXIMÆ, QUO-  
DAM TENUS, EXPLICATIO.

XXXIII. ‘Horrores crebri, nausea, anxietas et vomitus’ (III.) quae ‘semper fere incipientem morbum comitantur,’ manifesti hujus pars sunt. Cui languor, lassitudo, pulsus exigui, debiles, et tardi, quae communia febrium justarum sunt, et aliae debilitatis notae \* præiisse, si inquiratur, invenientur. Nam, si pyrexia typhodes, si morbi manifesti signa, et dein secutura omnia, qualia in typho, apparent, si causa debilitas est, et affecti præcipue debiles; illae debilitatis notae præcierint necesse est. Certe nunquam iis et certioribus typhi signis affectio gutturis præest. Quorum omnium causa communis debilitas,

\* Cull. Gen. Morb. Cl. 1. O. 1. charact.



debilitas, cerebri actionem, eoque ab ea pendentes actiones, vitales, naturales, et animales, imminuendo agit. Sed, cum

XXXIV. Contagiosa (II.) haec pyrexia seu 'febris typhodes' fit, ita, debilitatis et actionum omnium imminutarum causam remotam materiam contagiosam esse, sequitur. Materiae contagiosae, seu contagiones, modo stimulando, ut in iis exanthematis, quarum pyrexia synocha est, modo sedando, ut in typho, et iis exanthematis, quarum pyrexia typhus vel synochus est, modo in universum corpus, ut in eorum ipsorum morborum quavis, modo in partem, ut in syphilide, agunt. Sed quare sic aliter alia, quoque modo agant, dici non potest.

XXXV. Crustae mucosae muco, dissipata aut absorpta parte tenuiore, coeunte et humore ichoroso, e crustis promanante, conflantur. Rubor solitae suae in quavis, sive idiopathica, sive symptomatica, inflammatione, causae, nempe, sanguinis in partis vasa congesti copiae, debetur. Idem non, ut in prima hujus generis specie, clarus, sed ater est,  
aut



aut ad nigredinem vergit, quia jam ex quo hoc fit, corruptus humor, mox corruptior futurus, ut videatur, subest. Serpunt crustae, quia ulcera, unde pendere dictae sunt, infra augescunt. Perpetua in hoc morbo ulcera sunt, propterea quod, in tanta debilitate, non est in genere nervoso ea vis, quae ad spasmus febrilem superandum sufficiat; isque, ideo permanens, certius, in guttur et reliqua internae superficiei loca, humores acres perpellit. Gangraenam facit humor, ex toto corpore, in partem confluens, ante acris, nunc prorsus corruptus et putrefactus; eodemque ex parte, quae ipsa alias par effectui causa est, vasorum atonia pertinet. Denique, tota gutturis affectio ideo fit, quia, quoties, qui vasculis perspiratoriis corpore ejici debet, humor, sive sanus, sive vitiat, illac effluere prohibetur, is cum ad alia interiora loca, tum prae caeteris in hunc, ob causam non bene intellectam, vertitur.

XXXVI. Idem in aliis morbis, ut catarrhi utraque specie semper\*, ut exanthematis  
plus

\* Cull. Gen. Morb. O. V. G. XXXVIII.



plus minusve omnibus, sed prae caeteris scarlatina, variola, et rubeola, et in reliquis cynanches speciebus, eodem quoque et ob eandem causam vertitur. Sed in illis omnibus morbis tantummodo cum inflammatorio vel simplicis acredinis, effectu id fit, quia sola in omnibus inflammatio subest, solusve humor perspirabilis naturalis retinetur. In hoc morbo gangraenosus effectus, ob causas explicatas (XXXV.), nempe corruptionem et putredinem humorum, et firmorum atoniam, trahitur.

XXXVII. Eruptio (V.) fit, quia propter arteriarum, in tanta toto corpore debilitate, debilem quoque actionem, non tanta subest vis, quanta humorem excernendum prorsus expellere queat; hinc pars inter cuticulam et cutem subsistens eruptionem conflatur. Quae rubra est, quia, extremis vasculis resolutis, per horum fines particulae rubrae transflunt. Exanthemata 'aliquando puncta exigua' sunt, quia singulae tantum particulae adhuc transeunt. Eadem 'plerumque maculae clare rubentes, serpentes, mox coeun-

tes,



tes, sunt, ut a vultu et cervicibus, ubi primum apparent, intra aliquot dies, ad inferiores artus paulatim perveniant.' Maculae, pro punctis majorem suffusionem, eoque majorem causae gradum, significant. Quod autem a vultu et cervicibus incipiunt, et paulatim tantum ad extrema tendunt, id relaxationem solam causam non esse, et aliquem a tergo, etiam in hoc extremae debilitatis casu, impetum requiri, indicat; siquidem ibi primum eruptio fit, ubi, a corde et cerebro diffitis minus partibus, major vis vasorum est; et eo definit, ubi, propter maximam indidem distantiam vasa minime adjuncta deficiunt.

XXXVIII. Quod eruptio aliquando deest (XXIV.), id duarum causarum alterutri, aut majori, quam quae eruptionem facit, aut minori etiam, debilitati, nam utriusque generis exempla non defunt, tribui potest. Minor aut nulla debilitas, immo etiam magna forsitan, sed inconstantior et aequalis minus, actio, in variola discreta, in scarlatina, in eruptione miliari, multorum morborum, a re-  
actione



actione pendentium, symptomatice, eruptionem facere videtur. Quae contra in typho petechiali, in peste, in variola confluyente, et si qui alii similes affectus sunt, magnae debilitati tribuenda est. Quarum eruptionum illius causa esse videtur, quod per majorem justo impetum humor, corpore ejiciendus celerius et immoderatus citatur, quam cutis foraminibus transmitti ordine potest; hujus, quod debilis vasorum actio debito impetu humores non perfert. Quam rem variolae exemplum utramque apte illustrat: Ubi, quicquid sanguinis impetum, ut calor, intendit, id auget; quicquid, contra, eum imminuit, qualia frigoris sedans vis et alvi purgatio sunt, quorum illud, impetui in summo corpore moderando, haec eum inde ad interiora avocando, agunt, id pustularum numerum imminuit. Quoniam igitur eruptio in cynanche gangraenosa posteriori harum causarum haud obscure tribuenda est; ideo ejusdem quandoque absentia ad contrarium, nempe relatarum priorem, seu nimium impetum, referri posset. Et quid obstat quo



minus eo referatur? Naturam morbi, respondeo. In morbo enim, quem magna semper debilitas continet, et in quo semper a summo corpore plus minusve impetus avertitur, nunquam in illud nimius impetus, isve esse potest, cui eruptionis absentiam tribuas. E causis igitur quae reliquae sunt, ut aiunt, possibilibus, haec aut bona esse aut mala potest; bona, si non tam relaxantur vascula extrema, ut rubras particulas, aut alienum humorem, transmittant; contra, mala, si, per spasma in summo corpore magnitudinem, vasculorum ferorum libramen ex toto introvertitur, ut, quicquid impetus subest, id omne in fauces rapiatur; aut si, festinante ad perniciem morbo, tempus, quo eruptio, quae non ante secundum diem aut serius fieri solet, fiat, non permittitur. Sed nos hanc rem in medio relinquimus, cum certiore de ea conclusionem, res verae quae confirmant, aut nondum sint, aut nobis ignoratae.

XXXIX. Hinc (XXXVIII.) quantum inter se discrepent scarlatinae et cynanches propriae eruptiones, scilicet illam in nimio cum  
vigore



vigore et diathesi phlogistica, impetu, hanc  
in deficiente et introverso, cum diathesi ad  
putredinem vergente, et fracto prorsus robo-  
re, positas esse, patet.

### NOSOLOGIA ET HUIUS RATIO.

XL. Si jam tradita pathologia spectetur,  
et cum veris morbi rebus attentius confera-  
tur, hunc phlegmasiarum ordine, forsitan  
vix arte, et certe non natura, comprehendi,  
manifestum erit. Nam, quantum illae, ex-  
cepta quoque arthritide, omnes inter se, tam  
natura quam arte, concordant, et tum classi-  
ca, tum ordinali, tum genericis notis apte in-  
ter se connectuntur, ut non exterioribus signis  
magis, quam interioris naturae ratione, quis-  
que loco, quem obtinet, respondeat; tantum  
in omnibus, quae consortes ei ponuntur, hic  
morbus non solum natura recondita, sed e-  
tiam manifestis signis, definitionis specificae  
minus exceptis, discrepat.



XLI. Primum de ordine, cujus sit, ambigitur, utrum, scilicet, primi an tertii classis primae habendus sit. Nam, five gutturis affectionem ab eruptione segreget, tum post febrem phlegmonae erunt; qua nota ad exanthematum classem pertinebit; five eas conjungas, tamen vix sic quoque exanthema non esse videbitur; siquidem affectis faucium nunquam ‘vixve unquam febrem praecedit’ (III.) Porro, si specifica contagio assumenda in rationem est, et haec, ut quibusdam videtur, pro una notarum, exanthematum genus statuentium, recipienda; contagio, hunc morbum faciens, quae manifeste specifica est, alterum argumentum dabit, quare is exanthematis adnumeretur.

XLII. Rursus, si rejiciendus exanthematum ordine videbitur, quia duabus aliis exanthematum manifestorum notis caret; quarum altera verum illud semel tantum vita eidem contingere proponit, altera, ut certo tempore eruptio incipiat, duret, et finiatur, requirit; tum ad febrium ordinem revocabitur.

XLIII.



XLIII. Qui ad hunc eum revocaret, is commodè satis comprehendere diceret, tum, quod notis exanthematum ordine propriis laxaret, tum quia, quod ei, ut exanthemati, necessarium alioquin, videri possit, ut secunda febris affectio localis sit, id ipsum pro febrili ordine faciat. Nec dubium est, quin, si affectio localis non obstitet, ad ordinem febrilem manifeste pertineret, immo justus typhus foret.

XLIV. Et certe non solum arti convenientibus, sed naturalius foret, eum alterutrius ordinis adscisci. Nec, si febribus adijciendus videbitur, causa harum ordinis laxandi erit, ut novam causam remotam, etiam specificam, recipiat; siquidem ejusmodi causa jam iis adjuncta, in secunda typhi specie, est. Contra, multum laxarentur leges, exanthematum ordinem statuentes; sublatisque iis, quae in causa remota propriam vel specificam naturam; in eruptione certum adventum, diuturnitatem et finem; in morbi denique natura eam generis nervosi rationem, quae semel tantum eidem homini contingere possit,



possit, requirunt ; ad morborum, omnibus his et aliis rebus inter se discrepantium, cohortem recipiendam janua lata pateret, ordoque, cujus jam genera non satis naturali copula inter se conjunguntur, etiam magis defringeretur.

XLV. Quod ad specificam ejusdem morbi definitionem attinet ; notas, quae ea receptae sunt (II.), maxime omnium evidentes esse, si ex plerisque historiis judicandum est, fateberis. Verum, si a nobis receptae (III. IV. V.), quae haud paulo aliis omnibus anteponenda videtur, standum est, et maxime, si traditae historiae fides habenda, (III. IV. V.) non pathologo solum, sed et nosologo paulo attentiori, typhi, quem semper ut principem morbum habuimus, aequae clara ac perspicua signa videbuntur. Quod cum ita sit, et mali originem in ejus causa esse pathologia sana doceat, quid objici a maxime severo et vel empirico nosologo, etiamsi ipse Serapion aut ipse Lieutodius esset, quo minus, cum artis suae legibus, scilicet ut solis notis evidentibus morbus ordinetur, abunde satisfactum



tum fit, his falvis, pathologiae ratio habeatur. Non igitur ea vis in definitione specifica est, ut generi cynanche hic morbus propterea annumerandus credatur.

## P R O G N O S I S.

XLVI. Cynanche gangraenosa semper periculosa est. Quod periculum pyrexiae magnitudine, et iis in gutture notis, quae gangraenae adventum denunciant, aestimandum est. Itaque ulcerum livor, vel etiam nigredo, spiritus foede olens, et manifesta humorum nares et anum, ut supra dictum est, rodens acredo, gangraenae praenuncia, saepe tertio die aut ferius, semper ante septimum, certiusque, si febris putrida est, mortem fore indicant. Immo ea febris putridae vis esse videtur, ut, sine malis gutturis, aut certe cum melioribus, eundem ipsa per se eventum trahat\*.

XLVII.

\* Cull. praelect. de Cyn. gang. hoc anno.



XLVII. Quo crebrius magisque alvus funditur, eo citior mors erit: Quia acredo, sive a gutture in intestina delapsa, sive ab eruptione eo delata, non simplex, sed putrida, vires exhaurit.

XLVIII. Tumores circa cervicem eo nihil boni promittunt, quod magnam materiae morbigicae absorptionem, latiusque membranam Sneiderianam affectam, eoque ex humore seroso 'acri,' corrupto, putrefacto, in bronchias effuso, quandoque suffocationem instantem, significant\*. Quam certius etiam, ad laryngem et asperam arteriam delata inflammatio, qualis in Cynanche stridula fit, et similes turbas ciens, portendit†; aut hinc quoque pneumonia exitio esse potest. Et sic quidem aliqua morbus plerumque ad mortem tendit.

XLIX. Est ubi laetior finis promittitur. Cujus futuri haec signa sunt: Ulcerum mitior species,

\* Cull. Praelect. relat.

† Id. ibid. ubi conceptos de hac re errores ingeniose refutavit.



species, lenior minusque ad putredinem vergens pyrexia; hujus, eruptione prodeunte, remissio; eruptio triduum vel quatuor dies permanens, donec totum corpus cooperiat, dein in squammas, cum altera febris remissione, desinens. His stipatus morbus, leni sub septimum vel ante diem sudore, dein crustis a faucibus delapsis, somno, cibi desiderio, et aliis bonis notis redeuntibus, finitur. Qui tamen finis adeo certae cynanche gangraenosae insolitus est, ut, quoties incidit, pro morbi fundamento suspiciatur jure scarlatina.

## C U R A T I O.

L. Huic morbo eadem, quae typho, mendedi consilia sunt; siquidem ab hoc, ut supra dictum et explicatum est, tantum eruptione gutturisque affectione, et harum causa communi, differt; adversus quam, quia propria ejus natura ignoratur, eoque propria remedia



media dirigi nequeunt, communi uti consilio  
necesse est. Hinc una exceptio esse dicitur.  
Igitur

LI. Ubi adultum morbus aggreditur, si is  
robore et viribus viget, si inflammationis  
species tonsillarem refert, si pulsus non par-  
vi, debiles, et ordinis expertes, sed hoc  
bono, pleni, et validi sunt; in tali casu haud  
dubium est, quin sanguine missio opus sit;  
eoque magis, quod etiam in typho, etiam in  
hoc putrido, per occasionem irritatio, immo  
vera inflammatio, suboriens, scalpelli usum  
requirit. Quae tamen in utroque morbo ra-  
ra occasio, difficilisque in primis cognitu, e-  
tiam a prudentissimo et curationum peritif-  
simo, est, et certa ex errore perniciēs. Qui  
igitur prospere se in cynanche gangraenosa  
scalpello usos aiunt, ut nec cautionem in ea  
re praecipiant, eos deceptos suspicor, scarla-  
tinam aut cynanchen tonsillarem pro gan-  
graenosa habuisse. Hoc ita concessio, eaque  
cum dubitatione et sollicitudine, ut pene  
concessisse me peniteat,

LIII.



LIII. Consilium medendi est putredini, si-  
ve in parte seu toto corpore crescenti, occur-  
rere, tonumque et vigorem sustentare et re-  
stituere.

LIV. Cujus remedia, adversus gutturis af-  
fectionem gargarismata sunt. Nam, licet,  
quod non utique verisimile est, a febre di-  
arrhoea non penderet, tamen nocens mate-  
ria, e gutture in intestina transiens, non po-  
test non putridum et venenosum effectum  
trahere. Nonnulli injectos liquores metu-  
unt, ne in glottidem irruant. Qui utique  
vanus metus est, sponte enim satis se adver-  
sus istum casum glottis contrahit. Huic u-  
sui acida diluta conveniunt, tam abluendo  
noxiam materiam, et descendere prohibendo,  
quam vim ejus putridam contraria vi fran-  
gendo. Myrrha, quae humore solvente spi-  
rituoso, partem irritaturo, dissolvatur necesse  
est, ideo, et cortex Peruvianus, incommoda  
sunt.

LV. Omnium antisepticorum cortex Pe-  
ruvianus putredini per corpus diffusae optime  
obviam it. Qui integer, non decocti, non so-



luti formis, quae imbecillae sunt, assumendus est. Idem et initio et toto morbi cursu recte dabitur; siquidem nunquam usui ejus, quae initio typhi, diathesis phlogistica, utpote ab hoc morbo puro aliena, obstat.

LVI. Eundem usum frigus, extrinsecus admotum, praestat. Et ut causa corruptionis sordes sunt, ita remedio erunt munditiae.

LVII. Eidem consilia emetica, et ad vomitum et ad nauseam movendam data, respondent. Vomitu putridum humorem eji-  
ciunt, spasmum summi corporis solvunt, et ab interioribus tractibus corporis, maximeque a faucibus et canali alimentario, impetum et colluviem humorem avertunt.

LVIII. Denique, quamvis putridus hic morbus sit, affectionis tamen gutturis, ut inflammatoriae, non habenda nulla ratio est. Utque, quod paulo ante submonitum est, irritatio, aut etiam inflammatio, sub pessimo et extremo typho forte exoriens, suis, tanquam nulla debilitas, putredo nulla, subessent, remediis, atque etiam sanguinis missione tractanda videtur; sic partis hic inflammatio



matio aliquam sibi curam vindicat. Quod si, propter majorem saepe hic, quam in typho, et certam semper, ubi scarlatina aut cynanche tonsillaris absunt, putredinem, inde minus, quam in eo, sanguinis detractio-  
ne hic periclitandum est, neque, nisi, ubi talia symptomata, qualia relata sunt, sese offerant, stringendus est scalpellus; tamen adversus gutturis intus tumorem, (nam de externo illo, qui aliquando circa collum aut cervicem oboritur, non loquor), atque etiam, ubi is minus memorabilis est, ad inflammationi moderandum; vesicatoria, humoris copiam abstrahendo, distensionemque et spasmus imminuendo, perquam idonea erunt.

Perducto ad finem, quamvis non perfecto, hoc opusculo, si maximi momenti et imprimis perniciosi morbi naturam ullo modo illustravi, quoque modo a perquam diverso, saepe cum magno aegrotantis malo, et medentis fama minore, confusus, quodam tamen tenus dignoscendus sit, monstravi; id maximi viri, Culleni promeritum, eam laudem esse, hoc discendi tempus est. Quid enim aetatula



tula mea, observationi nondum maturi, quid  
vita scholis haftenus conclusi, et rebus non-  
dum mixti, quid denique imperitia scri-  
bendi negotio inassueti, novi aut tanti adfer-  
re posse putanda erat? Cui viro, de medi-  
cina ad hunc prope diem semper optime me-  
rito, item reliquis Praeceptoribus meis om-  
nibus, ob traditum disciplinae fructum, col-  
latumque in me eo tempore, quo non teme-  
re cuivis habetur, summum medicinae hono-  
rem, et, prae caeteris, egregio viro Joanni  
Hopio, cum ob haec ipsa, tum propter sin-  
gularem qua me nunquam non affecit ami-  
citiam, tantorum beneficiorum haud imme-  
mor futurus, maximas gratias ago.

F I N I S.







